

qvos scriptores multa relata legimus de Memnonis statua, Thebis apud Agyptios in delubro Serapidis collocata, ut pote qvae sponte sua, cum mane radiis solis tangeretur, svavem sonum emittebat, et aliquid lacrymabile vesperi sub solis occasum, ac si ad ejus adventum laetaretur, ad discessum vero tristaretur, imo etiam voce humana loquebatur. Vid. KIRCHERVS in *Oedipo Agyptiaco*, qvi tamen cum aliis existimat, hoc non Magia naturali et licita, sed diabolica factum fuisse. Similiter de Alberto Magno ipso-
qve, qvem modo laudavimus, Kirchero notum est, ipsos confecisse caput, qvod loqui potuit, cujusmodi statuam conficiendi modum proposuit SCHOTTVS *Magia Universalis*. Lubentes praeterimus ea, qvae hodie satis sunt nota de hujus farinae Machinis, qvas artifices ex principiis Mechanicis et Musicis conficere norunt. Hoc tantummodo addere forsan nobis erit integrum, existere Parisiis hodie artificem qvendam egregium, qvi non solum totam hominis Machinam ejusdemqve interiora, eleganter atqve ad vivum materia qvadam ceracea expressit, atqve curiosis peregrinantibus ostendit, verum etiam promittit, se brevi paraturum esse talem ceream Machinam hominis, ita canalibus instructam, ut sanguinis in humano corpore circulationem accuratissime ob oculos ponere queat. Vid. *Description de la ville de Paris Tom. III.* Quoniam igitur hominis naturam uno Experimento exhibere admodum difficile est, rimabimur ejusdem actiones vitales et interiores oeconomicas, easdemqve Experimentis ita dictis ob oculos ponere, forsan non adeo infelici cum successu conabimur.

EX-